

rior Dei cultus. Sic autem fidem interiorem potest homo protestari factis, sicut et verbis; et in utraque protestatione, si aliquid homo falsum protestatur, peccat mortaliter. Quamvis autem sit eadem fides, quam habemus de Christo, et quam antiqui patres habuerunt; tamen, quia ipsi præcesserunt Christum, nos autem sequimur, eadem fides diversis verbis significatur a nobis et ab eis. Nam ab eis dicebatur: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium (Isa. vii)*, quæ sunt verba futuri temporis: nos idem representamus per verba præteriti temporis, dicentes quod *concepit et peperit*. Et similiter cæremoniæ veteris legis significabant Christum ut nasciturum et passurum; nostra autem sacramenta significant ipsum ut natum et passum.

« Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc suam fidem protestando, diceret *Christum nasciturum*, quod antiqui pie et veraciter dicebant, ita etiam peccaret mortaliter, si quis nunc cæremonias observaret, quas antiqui pie et fideliter observabant. » (2-2, quæst. 103, art. 4 [1].)

(61. « Præcepta autem judicialia, sunt quidem *mortua*, quia non habent vim obligandi; non tamen sunt *mortifera*: quia si princeps ordinaret in regno suo illa judicialia observari, non peccaret: nisi forte hoc modo observarentur, vel observari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione, talis enim intentio observandi esset *mortifera*. » (2-2, quæst. 104, art. 3.)

(62. Quoad vero præcepta moralia, cum

(1) Illud porro non immerito addendum legalia non statim ab adventu Christi, sed in ejus morte cessasse. Audiamus Thomam in hæc verba: « Dicendum quod mysterium redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi. Unde tunc Dominus dixit *consummatum est (Joan. xix)*. Et ideo tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata. In cujus signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum (Matth. xxvii). Et ideo ante passionem Christi, Christo prædicante, et miracula faciente, currebant simul Lex et Evangelium; quia jam mysterium Christi erat inchoatum, ut legales cæremonias observaret. » (2-2, q. 103, art. 3, ad 2.)

Disputatum fuit olim, quando legalia hujusmodi cessaverint, ut non solum *mortua*, sed etiam *illicita*, id est *mortifera* evaserint. Lubet ejusdem D. Thomæ doctrinam afferre, tenoris sequentis: « Dicendum quod circa hoc diversimode sensit videntur Hieronymus et Augustinus. Hieronymus enim... distinxit duo tempora: Unum tempus ante passionem Christi, in quo legalia non erant *mortua*, quasi non habentia vim obligatoriam, aut expiatiivam pro suo modo; nec etiam *mortifera*, quia non peccabant ea observantes: statim autem post passionem Christi incæperunt esse non solum *mortua*, id est non habentia virtutem et obligationem, sed etiam *mortifera*, ita scilicet quod peccabant mortaliter quicumque ea observabant. Unde dicebat quod apostoli nunquam legalia observaverunt post passionem secundum veritatem, sed solum quadam pia simulatione, ne scilicet scandalizarent Judæos, et eorum conversionem impedirent. Quæ quidem simulatio sic intelligenda est, non quidem ita quod illos actus

sint ipsa legis naturæ dictamina, neutiquam hæc Christi adventu abrogata fuisse in compertis habet: semperque vim habitura planum est, non quidem ex auctoritate veteris legis, sed quia sunt ipsius naturæ dictamina, et a Christo Domino in Evangelio quoad observantiam inculcata, juxta illud ejusdem divini Servatoris: *Si vis autem ad vitam ingredi, serva mandata. Quæ? Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices...* (Matth. xix, 17 et seqq.)

(63. Ad majorem rei claritatem, ac distinctionem, operæ pretium est doctrinam cl. Engel hæc per integrum afferre: « Leges cæremoniales et judiciales, sic ille, quia vel specialiter pro gente Judaica, eorumque moribus latæ, vel præfigurativæ Christi, et *umbra futuri hominis* erant, per adventum Christi, et veri luminis disparuerunt, et vim obligandi amiserunt, ut ex D. Paulo ad Galat. iii et iv satis probatur, et docent interpretes communiter ad cap. unic. *De purific. post partum*. Imo cæremonialium legum observatio non tantum *mortua* sed etiam *mortifera*, et interdicta est Christianis. Judiciales vero, licet ex se non obligent tempore gratiæ, propter moralem æquitatem tamen, vel honestatem possunt etiam nunc hodie, vel Constitutione, vel consuetudine introduci c. 1 *De homic.*; c. 1 et seqq., *De injuriis* (2). Illæ quoque leges cæremoniales, quæ non tam mysteria nascituri Christi præfigurabant, uti sunt *immolatio agni, circumcisio, etc.*, quam potius ad devotionem, et cultum Dei decenter peragen-

secundum rei veritatem non facerent, sed quia non faciebant tanquam legis cæremonias observantes... Sed quia indecens videtur quod apostoli ea occultarent propter scandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ et doctrinæ, et quod simulatione uterentur in his quæ pertinent ad salutem fidelium, ideo convenientius Augustinus... distinxit tria tempora: Unum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant *mortifera*, neque *mortua*: aliud autem est post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt *mortua*, et *mortifera*: tertium autem est tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii; in quo legalia quidem fuerunt *mortua*, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt *mortifera*, quia illi, qui conversi erant ad Christum ex Judæis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. His autem, qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa ut ea observarent. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Judæa genitus erat: Titum autem, qui ex gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideo autem noluit Spiritus sanctus ut statim inhiberetur his qui ex Judæis convertebantur observatio legalium, sicut inhibebatur his qui ex gentilibus convertebantur gentilitatis ritus, ut quadam differentia inter hos ritus ostenderetur. Nam gentilitatis ritus repudiabatur, tanquam omnino illicitus, et a Deo semper prohibitus: ritus autem legis cessabat, tanquam impletus per Christi passionem, utpote a Deo in figuram Christi institutus. » (2-2, quæst. 105, art. 4, add. 1.)

(2) Et revera in tit. ex. *De homic.*, cap. 1, habet

dum pertinebant, veluti *vestes sacerdotales*, etc., etiam in nova lege per Ecclesiam repeti possunt, ita tamen ut non ex lege divina, sed ecclesiastica obligent. *Moralia* præcepta Veteris Testamenti adhuc vim habent, et perpetuo habebunt, non tam ex auctoritate veteris legis, quam ex eo quod sint a natura ipsa instituta, et a Christo in Evangelio passim præcepta, et *præcepta servare* jubente repetita. Demum aliqua sunt leges mistæ, quæ partim sunt *cæremoniales*, vel *judiciales*, et partim *morales*, eujusmodi sunt *decimæ*, quæ quoad ad quantitatem, scilicet decimam partem, legibus *judicialibus*, quoad congruam sustentationem ministrorum Ecclesie *moralibus* recte annumerantur... Item *sabbati sanctificatio* quæ quoad diem *sabbatum, cæremonialis*; quoad cultum divinum, qui aliquibus saltem diebus soli Deo debetur, *moralis* est. Istæ leges mistæ non obligant quidem hodie ex jure divino, in quantum sunt *cæremoniales* vel *judiciales*, sed in quantum sunt *morales*. » (Ad Tit. ii, ex. *De constit.*, § 1, n. 5.)

ARTICULUS II.

Lex quoad ea quæ concernunt ejus promulgationem, acceptionem, et obligationem.

SUMMARIUM.

1. Ad hoc ut lex obliget quoad culpam, vel quoad pœnam requiritur ejus sufficiens promulgatio. — 2. Ut lex dicatur sufficienter promulgata, sufficit quod taliter promulgetur, ut ea ad notitiam communitatis deveniat, quamvis singulorum auribus specialiter, et sigillatim non inculcet. — 3. Si lex, juxta legislatoris mandatum, promulgata sit tali loco, et tempore, a quo velit ipsam obligare, tunc ipsa, sive sit civilis, sive canonica, non incipit obligare, nisi post promulgationem factam in loco præscripto, et elapso tempore a legislatore statuto. — 4. Leges imperiales seu cæsareæ, late pro pluribus provinciis non incipiunt obligare, nisi post duos menses elapsos a die promulgationis factæ in cujuslibet provinciæ metropoli. — 5. Leges regum, aliorumque principum Romano imperio non subditorum, nisi aliud certum præfixerint tempus pro observantia, aut aliud legiūma consuetudine præscriptum fuerit, incipiunt obligare statim ac sufficienter sunt promulgatæ, et ad notitiam subditorum pervenerint. — 6. Leges Pontificiæ incipiunt obligare, quantum est ex se, totum orbem Ecclesie subjectum, statim ac Romæ in curia, aliisque consuetis locis solemniter fuerint promulgatæ, et ad aliorum cognitionem pervenerint; nec est necesse, quod etiam promulgentur in singulis provinciis, et episcopatibus, nisi in ipsis aliud exprimat. — 7. Veritas hujus conclusionis constat ex recepta praxi, consuetudine, ac stylo curiæ Romanæ. — 8. Hanc sententiam qui teneant? — 9. Ad intrinsicam legis constitutionem non requiritur acceptatio populi. — 10. Afferitur solida ratio. — 11. Afferitur, et solvitur instantia ex illo dicto Gratiani: « Leges instituuntur cum promulgantur; firmantur cum moribus utantur approbantur. » — 12. Hinc subditi peccant mortaliter, si sine rationabili causa non acceptent legem obligantem sub mortali. — 15. Lex

tur: « Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur: » Qui utique textus desumptus est ex Exodo cap. xxi. Pari modo in tit. *De injuriis* ex. afferitur alius textus Exodi, ex eod. cap. hoc pacto: *Si rixati fuerint homines, et vercusserit alter proximum*

sine rationabili causa non acceptata, adhuc perseverat obligare, præsertim si legislator instet pro legis acceptione et observantia. — 14. Si lex non acceptetur, nec observetur, et id sciat, et taceat legislator, quamvis primi sine rationabili causa ipsam non acceptantes, nec observantes peccaverint; tamen ipsi, et alii a die, quo cognoscuntur id scire, et tacere legislatorem, non peccant. — 15. Si legislator nesciat legem non acceptari, nec deduci ad observantiam, durat legis obligatio, donec elabatur decennium; quo elapso habet locum contra eam præscriptio, et non amplius obligat, sive sit lex civilis, sive canonica. — 16. In dubio an lex sit acceptata, nec ne, præsumi debet, quod sit acceptata, et observari debet. — 17. In dubio an superior habeat protestatem ferendi hanc vel illam legem obligatoriam, talis lex debet acceptari et observari. — 18. In dubio an lex sit justa, nec ne, debet acceptari et observari. — 19. Populus habens rationabilem causam non acceptandi legem a supremo principe, potest et debet ad ipsum recurrere per remedium supplicationis pro sublacione legis: et si lex sit lata a legislatore inferiore, potest appellare ad superiorem. — 20. Et durante tali supplicatione, vel appellatione, licitum est populo suspendere obligationem legis. — 21. Alii tamen sentiunt contrarium. — 22. Si legislator, vel superior, audita populi supplicatione, vel appellatione, taceat, nec ulterius pro legis observantia instet, cum possit, censetur populi supplicationi vel appellationi tacite annuere, et eo ipso legem revocare. — 23. Excipe tamen in casu, quo aliunde satis colligeretur, quod talis taciturnitas legislatoris, vel superioris esset per modum repulsæ, aut indignationis. — 24. Leges humanæ justæ, tum ecclesiasticæ, tum civiles, obligant in conscientia, ita ut earum transgressio culpabilis in materia gravi, sit peccatum mortale. — 25. Non sic tamen obligant ad culpam leges mere pœnales. — 26. Lex mere pœnalis quomodo differt a lege morali, et a lege mista. — 27. Lex pœnalis alia est latæ sententiæ, et alia sententiæ ferendæ, et quæ sit utraque. — 28. Regula prima pro cognoscenda lege pœnali, an sit latæ vel ferendæ sententiæ. — 29. Regula secunda. — 30. Regula tertia. — 31. Regula quarta. — 32. An quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ afficiunt immediate ipsam pœnam, sit latæ sententiæ, vel ferendæ: ad n. 34. — 33. Regula quinta. — 36. Lex pœnalis sententiæ ferendæ obligat ante sententiam judicis. — 37. Lex pœnalis latæ sententiæ in iis quæ aliam executionem externam non requirunt, obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis. — 38. Lex pœnalis latæ sententiæ in iis quæ externam executionem requirunt, non obligat in conscientia ante judicis sententiam declaratoriam de crimine commisso; nisi lex in specie addat clausulam: *alia etiam declaratione non secuta*. — 39. Imo secundum plurimos, etiamsi lex addat talem clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*, vel simili; non obligat ante declaratoriam judicis de crimine commisso, nisi in aliquibus specialibus pœnis, quæ assignantur. — 40. Declaratoria de crimine commisso requirit citationem partis, et ab ea dari potest appellatio. — 41. Adducitur, et solvitur instantia. — 42. Assignatur notabilis differentia inter sententiam condemnatoriam, et sententiam declaratoriam. Assignatur quomodo, non obstante clausula ipso facto incurrenda, adhuc requiratur sententia declaratoria judicis. — 44. Assignatur quomodo, non obstante clausula *absque alia declaratione*, adhuc

num suum lapide, vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto, et perrexit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit; ita tamen ut opera ejus, et impensas in medicos restituat.

requiratur talis sententia declaratoria iudicis. — 45. De lege episcopali, vel synodali ad n. 50. — 51. Subnectuntur Addit. ex alien. manu ad n. 54. De obligatione, et promulgat. legis speciatim n. 55 et seqq.

(1. Ad hoc ut lex obliget quoad culpam, vel quoad pœnam, requiritur ejus sufficiens promulgatio. *Communis* per textum in cap. *Quia cunctis* 1, *De concess. præbend.*, ubi expresse dicitur, « quod lex, seu constitutio, et mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem; » et *Authentic. Ut factæ novæ constitutiones, § Sancimus*, collat. 5, ubi imperator sic inquit: « Cur enim culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint constitutiones? » Et ratio est quia, cum lex sit præceptum rationale, nemo potest ad tenetur illi parere, si ipsi non sit sufficiens promulgata, et sine sua culpa non sit cognita; ignorantia enim tollit voluntarium, et ubi non est voluntarium, ibi nulla est culpa, et consequenter neque pœnæ locus esse potest, cum culpa et pœna sint correlativa, arg. cap. *Satis* 7, distinct. 56, et capit. *Cognoscentes* 2, *De constitutionibus*, ibi: « Rem, quæ culpa caret in damnum vocari non convenit, » et cap. *Sine culpa* 23, *De regul. juris*, in 6, ibi: « Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. »

(2. Ut lex dicatur sufficiens promulgata, sufficit quod taliter promulgetur, ut ea ad notitiam communitatis deveniat, quamvis singulorum auribus specialiter et singillatim non inculcet. *Communis* textu expresse in cap. *Ad hæc* 1, *De postulatione prælatorum*, ubi dicitur « quod nec sit necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare: sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam; » et concordat cap. *Quod dicitis* 14, dist. 16, cum similibus.

(3. Si lex juxta legislatoris mandatum promulganda sit tali loco, et tempore, a quo velit ipsam obligare, v. gr., statim ac in curia, in metropoli, vel postquam in singulis civitatibus, vel parochiis promulgata fuerit, vel statim elapso uno mense a die publicationis, et hujusmodi, tunc ipsa, sive sit civilis, sive canonica, non incipit obligare, nisi post promulgationem factam in loco præscripto, et elapso tempore a legislatore statuto. *Communis*, per varia exempla similitum legum, quæ habentur tum in *Jure communi*, ut in cap. *Cum singula* 32, in fin. *De præbend.*, in 6, ubi statuitur executio ipsius legis infra mensem postquam ad notitiam pervenerit; tum in conc. Trident., sess. xxiv, *De reform. matrim.*, cap. 1, ubi statuitur talem legem non habere vim, nisi post triginta dies a die primæ publicationis in singulis parochiis factæ numerandos; tum in *Authentic. Ut in privatis domibus*, et cap. § *Hæc enim*, collat. 5, ubi statuitur tempus trium mensium; tum in *Authentic. Ut neque miles, § Sint igitur*, collat. 8, ubi

statuuntur triginta dies computandi ab insinuatione, seu promulgatione dictarum legum.

(4. Leges imperiales seu cæsareæ, latæ pro pluribus provinciis non incipiunt obligare, nisi post duos menses elapsa die promulgationis factæ, in cujuslibet provinciæ metropoli. *Communis*, textu expresse in *Authentic. Ut factæ novæ constitutiones*, collat. 5. (5. Leges regum, aliorumque principum Romano imperio non subjectorum, nisi aliud certum præfixerint tempus pro observantia, aut aliud legitima consuetudine præscriptum fuerit, incipiunt obligare statim ac sufficienter sunt promulgatæ, et ad notitiam subditorum pervenerint, arg. cap. *Quia cunctis* 1, *De concess. præbend.*, § *Nec obstaret*, ubi expresse dicitur, « quod lex, seu constitutio, vel mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem; aut nisi post tempus infra quod ignorare minime debuissent. » Dicta enim *Authentic. Ut factæ novæ constitutiones*, est respectiva, ut in ipsa patet, ad solas leges imperiales latas pro pluribus imperii provinciis; unde cum de legibus regum, aliorumque principum Romano imperio non subjectorum, nihil quoad hoc reperitur in jure statutum, non est quid speciale temere asserendum. « Erubescimus enim sineleloqui, » inquit jurisconsulti; arg. *Authentic. De triente et semisse, § Consideremus*, collat. 3, et l. *Si vero, § De viro, ff. Solutio matrimonii*, cum similibus; et concordat cap. *Consulvisti* 20, caus. 2, qu. 4, ibi: « Quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa ad inventionem non est præsumendum, » et sic tenent Abbas in cap. *Cognoscentes*, num. 7, *De constitutionibus*, Pirhing. l. i *Decretal.*, tit. 2, n. 30; Engel., *ibid.*, n. 46; Reiffenst., *ibid.* n. 113; Suarez, lib. iii *De legibus*, c. 16, n. 7; Navarr., Palao, et alii passim.

(6. Leges Pontificiæ, seu constitutiones apostolicæ incipiunt obligare, quantum est ex se, totum orbem Ecclesiæ subjectum, statim ac Romæ in curia, aliisque consuetis locis solemniter fuerint promulgatæ, et ad aliorum cognitionem pervenerint; nec est necesse quod etiam promulgentur in singulis provinciis ac episcopatibus, nisi in ipsis aliud exprimat. Colligitur clare ex cap. *Ad hæc* 1, *De postulatione prælatorum*, ubi ut patet ex propriis verbis adductis sup., n. 2, expresse dicitur, quod « id solum sufficit, ut ad ejus (scilicet constitutionis pontificiæ) observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam. » Hoc autem jam fit, si constitutio Pontificia Romæ solemniter promulgetur, et de tali promulgatione cuipiam certo constat. Et quod magis certam reddit nostram sententiam est, quia ibi Pontifex per allatam rationem solemniter reprobatur excusationem adductam de non servando interdicto in diocesi Altissiodorensi, ex quo in tali diocesi non fuisset promulgatum Pontificium decretum; adeoque Pontifex aperte declaravit decreta Pontificia esse observanda, quamvis in tali diocesi non fuerint promul-

gata, et colligitur etiam ex c. *Quia cunctis* 1, § *Nec obstaret, De concess. præbend.*, in 6, per propria verba adducta supra sub n. 5. Et consequenter ad hoc ut leges pontificiæ obligent, non requiritur quod publicentur in singulis provinciis, seu diocesisibus, sed sufficit quod solemniter promulgentur Romæ in locis consuetis, et alibi de ipsis sufficiens notitia habeatur; arg. c. *Eum qui* 31, *De regul. juris*, in 6, ibi: « Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet. »

(7. Tum quia veritas hujus nostræ sententiæ aperte constat ex recepta praxi consuetudine, ac stylo curiæ Romanæ, ubi omnes iudices Urbis, ut experientia constat, judicant contra omnes totius orbis Christianos secundum leges, seu constitutiones Pontificias in locis Romæ consuetis promulgatas, quamvis non fuerint promulgatæ in singulis provinciis, dummodo vere illas non ignoraverint; consuetudo autem est optima legum interpret., c. *Cum dilectus* 8, *De consuetud.*, et l. *Si de interpretatione*, ff. *De legibus*. Quinimo ipse stylus curiæ Romanæ habet vim legis; arg. c. *Quam grave* 6, *De crimine falsi*.

(8. Et hanc sententiam tenet abbas Panormit. in c. *Noveris* 49, *De sentent. excommunic.*, n. 3, ubi expresse dicit, quod « constitutio Papæ non est necessario publicanda in qualibet provincia, quia satis est quod publicetur in curia Romana; » Vallensis *De constitutionibus*, § 2, n. 2, card. de Luca tom. XII, par. 1, *De benefic.*, disc. 76, n. 7, allegans Rotam dec. 365, n. 13 et 14; Antonius Burgosius in *Repetit.*, ad c. *Cognoscentes*, n. 207, *De constit.*; Quintilianus Mandosius in *Repetit.* ad c. 2 *De constit.*, n. 79; Pirhing., lib. i *Decretal.*, tit. 2, n. 32, ubi citans Suarez, Silvestrum, Azor., Navarr., et alios, dicit quod hæc sententia sit communior; Reiffenstuel., *ib.*, n. 118, ubi dicit quod hæc sit communior; La Croix, lib. i, tract. 2, cap. 1, n. 579, ubi aliis citatis dicit quod ita docent communiter canonistæ; Cardenas in 1, crisi, disp. 9, cap. 20, art. 12, ubi dicit hanc esse certam; Farinacius cum pluribus aliis part. i *Fragmentorum criminalium*, n. 653, dicens quod hæc opinio sit verior, magisque communis, et canonizata in Rota; Castropalao, par. i, tract. 3, disp. 1, punct. 12, n. 2, citans Suarez, Vasq., Silvestrum et alios, ubi vocat hanc certam, et omnino tenendam sententiam. Et sic plurimi alii, contra plures alios tenentes contrarium. * Nihil ad hanc de legum Pontificiarum promulgatione controversiam opportunum afferri posset, quam singula Ecclesiæ sæcula percurrere, et quæ in singulis servata sint, ubi de hujusmodi legibus promulgandis ageretur, ex certis monumentis depromere; variam quoque hac in re disciplinam adnotare, atque unde orta ea varietas fuerit, et quis in ea usurpanda modus habitus, diligenter considerare. Idem vero cum Franc. Antonius Zaccaria præstiterit in suis Latinis dissertationibus Fulginia editis t. XI, diss. xi, quæ inscribitur: *De varia Ecclesiæ præsertim Latinæ, in promulgandis sacris con-*

stitutionibus disciplina, sa is erit illum consulere*.

(9. Ad intrinsecam legis constitutionem non requiritur acceptatio populi, unde ante populi acceptationem lex cæteroquin justa jam obligat; sic late Fagnanus in cap. *Treguas* 1, *De tregua et pace*, n. 48 et seq.; Pirhing, lib. i *Decretal.*, tit. 2, n. 37, ubi dicit quod hæc est theologorum sententia magis recepta, et per se loquendo absolute vera. Suarez, l. iii, d., cap. 19, n. 6; Layman., lib. i, tract. 4, cap. 3, n. 1., ubi cum multis aliis ibi citatis dicit quod hæc sententia absolute, et per se loquendo est vera. Castropalao par. i, tract. 3, disputat. 1, punct. 13; Felix Potestas, tom. 1, par. i, n. 193, ubi dicit hoc esse certum. Busemb., *De legibus*, tract. 2, cap. 1, dub. 3; La Croix, *ibidem*; Viva in proposit. 28, damnat. ab Alexand. VII, n. 6 et seq.; Reiffenstuel., lib. i *Decretal.*, tit. 1, n. 136, ubi dicit quod hæc communior doctorum, et jam post propositionem 28, damnatam ab Alexandro VII infra adducendam, est fere indubitata, quamvis antea multi oppositum docerint.

(10. Et ratio nostræ conclusionis est, quia ad hoc ut intrinsece censeatur constituta, et vim de se habeat obligandi subditos, duo solum requiruntur et sufficiunt ex parte legislatoris, scilicet potestas, et voluntas obligandi subditos ad legis observantiam, prout desumitur ex cap. *Cum super* 23, *De offic. delegati*. Neutrum autem horum deficit in legitimis legislatoribus, quia quantum ad potestatem, si sit sermo de supremo legislatore ecclesiastico, scilicet de Summo Pontifice, habet eam absolutam ferendi leges sine consensu, et acceptatione populi Christiani, immediate a Christo; *Matth.* xvi, et *Joan.* xii, ubi: *Pasce oves meas*. Et si sit sermo de supremis legislatoribus laicis, habent talem potestatem ferendi leges absque consensu et acceptatione populorum; l. i, ff. *De constit. princip.*, § *Sed et quod principi*; *Instit. de Jur. nat. gent. et civ.*, et potestatem etiam habent obligandi, et cogendi subditos ad illarum observantiam; l. *Leges* 7, ff. *De legibus*, et cap. 1, ad finem, dist. 20. Quantum autem ad voluntatem, quod scilicet legislatores eam habeant obligandi subditos independentem ab eorum acceptatione, et non sub prætensa ab adversariis conditione, si subditi velint acceptare, de se clare patet, quia alias essent potius consilia, seu exhortationes, quam leges, seu præcepta, textu claro in cap. *Quisquis* 3, caus. 14, qu. 1. Tum quia cum legislatores ferunt leges, cogunt subditos independentem ab eorum voluntate, pœnis et suppliciis ad earum observantiam cap. *Præceptis* 2, dist. 12, cap. *Non frustra* 18, et c. *De Liguribus* 43, caus. 23, qu. 5; cap. *Cum clericorum* 13, *De vita et honest. cleric.*, cum similibus leg. *Leges* 7, ff. *De legibus*, cum concordantiis, adeoque eo ipso censentur habere voluntatem subditos obligandi absolute, et non solum sub conditione, si subditi velint legem acceptare, ac per consequens, cum ex

citatis juribus possint leges subditos coercere independentem ab eorum consensu ad legum observantiam, et punire transgressores, stat clarum, quod possint etiam independentem ab eorum acceptatione ferre leges obligatorias, quia in tantum possunt subditos sic coercere, et punire, in quantum possunt eos obligare.

(11. Nec valet objicere cap. *In istis* 3, dist. 4, ubi dicitur, « quod leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur. » Non valet, inquam, quia ultra quam quod dictum istud, cum sit Gratiani, non habeat canonis auctoritatem, textus ille aperte favet nostrae conclusioni, quia *si leges instituuntur, cum promulgantur*, ergo cum promulgentur ante populi acceptationem antecedenter ad hanc acceptationem, sunt jam institutae, et jam obligant, ideoque si leges sunt jam institutae ante populi acceptationem, populi acceptatio non requiritur ad intrinsecam legis constitutionem. Id autem quod sequitur, scilicet *firmantur, cum moribus utentium approbantur*, debet intelligi, ut cum aliis recte notat Fagn. in c. *Treguas* 1, *De treguis et pace* n. 48 et 49, quod leges firmantur moribus, quoad firmitatem stabilitatis, seu de facto, non autem quoad firmitatem auctoritatis, seu de jure; nam de jure, et quoad auctoritatem obligandi, sunt jam satis firmatae ab ipsa legitima institutione, seu firmantur moribus, et usu non firmitate intrinseca et essentiali, ut incipiant obligare, cum usus ipse ex obligatione nascatur, sed firmantur quadam firmitate extrinseca et accidentali, ut sic moribus utentium comprobatae, stabiliiores sint, et non facile per desuetudinem abrogentur.

(12. Hinc, subditi peccant mortaliter, si sine rationabili causa non acceptent legem obligantem sub mortali; habetur clare ex illo apostoli Pauli ad Roman. xiii, ibi: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, et ideo merito fuit damnata ab Alex. VII, die 24 Septem. 1665, sequens propositio ordine 28, ibi: « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. » (13. Ex qua damnata propositione aperte inferitur, quod lex sine rationabili causa non acceptata, adhuc perseveret obligare, praesertim si legislator instet pro legis acceptatione et observantia, et lex sit justa, et legislator sit legitimus ex illis assignatis art. 1, a n. 41 ad 43.

(14. Si lex non acceptetur, nec observetur, et id sciat, et taceat legislator, quamvis primi sine rationabili causa ipsam non acceptantes, nec observantes peccaverint, tamen ipsi et alii, a die quo cognoscunt id scire, et tacere legislatorem, non peccant, quia tunc rationabiliter censetur hoc ipso lege revocare, si cum possit pro acceptatione, et observantia instare, non instat. (15. Si legislator nesciat legem non acceptari, nec deduci ad observantiam, durat legis obligatio, donec elabatur decennium, quo

elapso, habet locum contra eam praescriptio, et non amplius obligat, sive sit lex civilis, sive canonica.

(16. In dubio an lex sit acceptata nec ne, praesumi debet quod sit acceptata, et observari debet, quia, cum constet de lege, pro ea stat possessio. Tum quia ipsa debuit acceptari ex dictis n. 12 et 13, adeoque praesumendum est fuisse acceptatam. Bonacina, Sanchez, et alii cum La Croix lib. 1, tract. 2, c. 1, dub. 1, n. 592; Busemb. *ibid.*, dub. 3, in fine; Viva ad propositionem. damnat. 28 Alexandri VII, n. 14, et alii. (17. In dubio an superior habeat potestatem ferendi hanc vel illam legem obligatoriam, talis lex debet acceptari et observari. Possessio enim stat pro absoluta potestate superioris ad ferendam omnem justam et rationabilem legem, nisi habeatur certitudo, quod haec vel illa lex sit supra ejus potestatem: in casu autem nostro non haberetur certitudo, sed sola dubietas, uti supponitur, adeoque, etc. Sanch. in *Decalog.* lib. vi, c. 3, n. 6; La Croix, lib. 1, tract. 2, cap. 1, n. 594, et alii passim. (18. In dubio an lex sit justa nec ne, debet acceptari et observari; superior enim est in possessione imperandi omne id, quod judicat justum et licitum, et subditus tenetur observare omne tale praecceptum, quod non scit certo esse injustum et malum. Ovied., *De conscient.*, contr. 3, punct. 5, n. 61; La Croix, *loc. cit.*, n. 595, et alii passim; arg. cap. *Quid culpatur* 5, caus. 23, q. 1.

(19. Populus habens rationabilem causam non acceptandi legem latam a supremo principe, potest et debet ad ipsum recurrere per remedium supplicationis pro sublacione legis; et si lex sit lata a legislatore inferiore, potest appellare ad superiorem. *Communis*, arg. c. *Si quando* 5, *De rescriptis*. (20. Et durante tali supplicatione, vel appellatione, licitum est populo suspendere obligationem legis, sic enim habet usus et praxis; neque ideo puniuntur subditi, si pendente tali supplicatione vel appellatione, legem non observent. Et revera sic convenit suavi reipublicae gubernationi, ne subditi illico premantur nimia legis gravitate, ad quam alias non tenentur ex rationabili causa a legislatore ignorata, quae si ab ipso cognita fuisset, talem legem non condidisset; tum quia subditi allegantem justam causam ob quam nequirent propter peculiare circumstantias loci, temporis, consuetudinis, et hujusmodi, talem legem observare, sibi ipsis ipsomet facto contradicerent, si ipsam interea observarent. Sic Rodriguez, Salas, Bonacina, Granad. et alii apud Moyax in *Sel.* tom. VI, d. 1, qu. 6, n. 16; Herinex part. II *Summa theologica*, disp. 3, *De legibus*, n. 116, cum aliis ibi citatis; Illsung., tract. 1, d. 2, n. 5; La Croix, lib. 1, tract. 2, cap. 1, n. 639; Reiffenst., lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 145, et alii plures; arg. cap. *Si quando* 5, *De rescriptis*, ubi Alex. III rescribit Ravennat. archiepiscopo praecisis his verbis: « Si quando aliqua tuae Fraternalitati dirigimus, quae animum tuum exasperare videntur,

turbari non debes. » Et infra: « Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas quare adimplere non possis rationabilem causam praetendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. » (21. Suarez tamen lib. IV *De legibus*, cap. 16, n. 8; Castropalao, part. I, disput. 13, n. 14; Vasquez, Lorca, Garcias, teste Leurenio part. III, qu. 170, n. 5, tenent oppositum, volentes interim esse observandam legem, quia certo possidet, et excusatio est dubia.

(22. Si legislator, audita populi supplicatione, vel alius superior, audita populi appellatione, taceat, nec ulterius pro legis observantia instet, cum possit, censetur populi supplicationi vel appellationi tacite annuere, et eo ipso legem revocare: arg. cap. *Qui tacet* 43, *De regul. juris*, in 6, ibi: « Qui tacet, consentire videtur; » Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 146; Bonacina, disp. 2 *De legibus*, quaest. 1, punct. 4, n. 43; Castropalao, *loc. cit.*, punct. 13, n. 15; La Croix, *loc. cit.*, n. 640; Salas, et alii plures. (23. Limitanda tamen est conclusio in casu, quo aliunde satis colligeretur, quod talis taciturnitas legislatoris, seu superioris, esset per modum repulse, aut indignationis, quia tunc potius firmaretur lex, ut recte notat La Croix, *loc. cit.*, n. 640.

(24. Leges humanae justae, tum ecclesiasticae, tum civiles obligant in conscientia, ita ut earum transgressio culpabilis in materia gravi sit peccatum mortale. *Communis*. Et ratio est, quia leges humanae continent praecceptum superioris, et consequenter obligant in conscientia, cum lex naturalis praecipiat esse obediendum superioribus justis imperantibus. Unde Apostolus ad Roman. XIII sic expresse habet: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, et infra subdit: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, id est non solum metu poenae, quam posset infligere princeps iratus transgressoribus, sed etiam metu culpae, quam incurrerent subditi ejus legem transgrediendo, quae Scriptura expressius loquitur de superioribus temporalibus, iisque etiam gentilibus et ethnicis. Unde Apostolus ibidem loquendo de regibus, principibus et aliis superioribus saecularibus, ait: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Damnatio autem non incurritur nisi ob peccatum mortale, adeoque, etc. Et quod nedum leges ecclesiasticae, sed etiam civiles sic obligent, habetur etiam ex cap. *Quo jure* 1, dist. 8, ubi sic dicitur: « Ipsa jura humana per imperatores et reges saeculi Deus distribuit humano generi; » cap. *Nemo* 17, caus. 16, q. 3, ubi dicitur *Veneranda Romanae leges divinitus per ora principum promulgatae*, etc. Unde c. *Quae contra* 2, dist. 8, dicitur expresse: « Generale pactum est societatis humanae, obedire regibus suis. »

(25. Non sic tamen obligant ad culpam

leges mere poenales; quia istae obligant ad solam poenam transgressoribus taxatam. Sic *Communis* cum S. Th., 2-2, qu. 189, art. 9, ad 1, ubi id probat ex Regula Patrum Praedicatorum in qua dicit dari aliqua, quorum transgressio, vel ommissio ex genere suo non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad poenam taxatam subeundam. Et ratio est quia lex non obligat ultra mentem legislatoris; ergo si legislator intendat, et declaret expresse se solum quoad poenam velle subditos obligare, jam clare patet talem legem non obligare quoad culpam; nam actus agentium non operantur ultra eorum intentionem; cap. ult. *De praebend. et leg.*, *Non omnis*, ff. *Si certum petatur*, cum similibus.

(26. Hic juvat notare quomodo differat lex mere poenalis a lege morali, et a lege mista. Unde *lex mere poenalis* ea est, quae ad culpam, per se loquendo non obligat, sed ad solam poenam transgressoribus taxatam. *Lex moralis* ea est, quae expresse nullam poenam transgressoribus imponit, sed mores dirigit, obligando ad actum, vel omissionem illius; unde tunc, ne crimina remaneant impunita, poena non taxata a lege potest imponi transgressoribus prudenti arbitrio iudicis. *Lex mista* ex mortali et poenali ea est quae obligat ad actum, seu omissionem illius, et simul ad poenam transgressoribus taxatam.

(27. *Lex poenalis* alia est latae sententiae, et alia sententiae ferendae. *Lex poenalis latae sententiae* est illa, per quam, posito delicto, statim, vi ipsius legis, poena irrogatur, et legislator poenam per ipsammet legem delinquenti imponit, atque ad eam condemnat. *Lex poenalis sententiae ferendae* contra est illa, per quam legislator poenam solummodo comminatur delinquenti, nondum autem per se, ac vi legis suae imponit, sed primum per sententiam iudicis imponendam decernit.

(28. Pro cognoscenda lege poenali an sit latae, vel ferendae sententiae, attendendae sunt sequentes regulae. Prima: quoties est dubium, an verba legis contineant sententiam latam, vel ferendam, tunc censendum est quod contineant solum sententiam ferendam. *Communis*, argum. capit. *Odia restringi* 15, *De regul. jur.*, in 6, et cap. *In poenis* 49, eod., in 6, ibi: « In poenis benignior est interpretatio facienda, et l. *Interpretatione* 42, ff. *De poenis*, ibi: « Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam exasperandae. » (29. Secunda regula est, quod quando lex solum comminatur poenam, tunc continet solum sententiam ferendam, ut si dicat: « Sub poena excommunicationis, sub poena interdicti, sub poena privationis officii, sub poena privationis vocis activae et passivae, » et hujusmodi, dummodo tamen non addatur alia particula importans poenam latae sententiae; ut si dicatur: « sub poena excommunicationis, seu privationis officii, aut vocis activae et passivae ipso facto incurrenda. » Sic *Communis* cum Farinac., p. II, fragment., verb. *Lex*, n. 69.

(30. Tertia regula est quod quando lex poenalis utitur verbis futuri temporis, tunc